I. N. SS. T.

DISSERTATIO MEDICA

De

CLYSMATIBUS,

Quam

Sub SACRO SANCTÆ TRIADIS Umbone

PRÆSIDE,

Viro Nobilißimo, Amplißimo, Excellentißimo,

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO. Phil. ac Med. Doct. & Praxeos P. P. Ordinario, Facultatis h. t. Decano, Serenisſ. DUCIS Würtembergiæ Conſiliario atque Archiatro,

Dn. Patrono & Præceptore ſuo omni obſervantiæ cultu æviternùm colendo,

Publicè in Medicorum ἀκροατηρίῳ ventilandam proponit

JOH. MATTHÆUS BRIGELIUS, REUTLING.

Ad diem 22. Junii, horis conſuetis.

TUBINGÆ,

LITERIS ROMMEIANIS,

ANNO M. DC. LXXXVIII.

VIRO

Amplissimo, Prudentissimo,

DN. JOHANNI Schönfeld/ Inclutæ ac Liberæ S. R. I. Reipubl. Biberacensis Consilii Interioris Assessori, Dn. Cognato & Patrono suo ætatem honorando,

Ut Et

DN. GOTTOFREDO BRIGELIO, Pharmacopolæ in Urbe Antiquissima Libera Imperiali Reutlinga Experientissimo, Parenti suo filiali cultu prosequendo, amando.

In

Debitæ gratitudinis tesseram,
Filialis Obedientiæ pignus,

Primitias hasce Studii Medici

Offert
Consecrat

A. & R.

Σὺν τῷ ἡμῶν Ἰατρῷ Χριστῷ.

PRÆFATIO.

SI ullum Medicamenti genus exploditur vulgo atque exſibilatur, Clyſma eſt, utpote quod non ſolùm à *Paracelſo, Helmontio*, & qui hujus Gregis ſunt, tanquam remedium belluinum ab ave edoctum, fædum & pudibundum, quia illis partibus, quæ non niſi cum præfatione veniæ nominandæ, applicatur, turpiſſimè traducitur; ſed & ab Antiquis *Legislatoribus* è foro Medico per Publicum Edictum eliminatum fuit, hac concepta Legis formula: *Si quis per vim, vel ſuaſum, medicamentum alicui infundit, vel ore, vel Clyſtere, vel ſi eum unxit malo veneno, Lege Aquilia tenetur.* L. 9. §. 1. ff. ad leg. aquil. Verùm non hæc me terrent, quò minùs Patrocinium hujus ſalutaris inventi ſuſcipiam; cùm & ſana ratio dictitet, Naturalia non eſſe turpia. Audiatur Curioſ. *Schröck. in Schol. ad Helvvig. Obſ. Phyſ Med.* 23. partibus naturalibus ita patrocinans: *Neutiquam deeſt partibus obſcænis dictis ſuus nitor & elegantia, qua vel cum aliis partibus decertare, palmamq́ dubiam reddere valent.* Nihil dicam de ſummo neceſſitatis telo, quod omnem vincit turpitudinem, omnemque tollit pudorem, præſertim ubi æger non aliter ex faucibus Orci eripi, & ab extremo vitæ periculo liberari poteſt; adeò ut meritò *Gabelkov.* cent. 4. Obſ. 95. eos reprehendat, & ſtultiſſimè, dico impiè, agere cenſeat, qui pudicitiæ rationem habentes, Creaturam Dei negligunt, & perire ſinunt. Quod attinet ſuperius citatam Legem de Interdicto Clyſterum, Contextus non de medicamento ſalutari, ſed de noxio, dra-

 ſtico

ſtico Legem loqui probat, cùm non ſolùm venenum exprimatur malum, ſed & vocem medicamenti φαρμάκȣ aliquando venenum notare, Medicis Antiquitatis ſtudioſis pateat. Et poſito de Clyſteribus in genere loqui, illa nequaquam Medicos Rationales ferit, ſed Agyrtas ſaltem, Circumforaneos, Blaterones, Impoſtores, & reliquam Empiricorum colluviem, qui jam illo tempore ſine ulla ratione hoc remedio præſtantiſſimo abuſi, non paucos ægros vita exterminarunt. Quid autem hoc ad me, qui potius naturam, adminiſtrationem, ſummam neceſſitatem ac utilitatem Clyſmatum indagare, prout fert ingenii modulus, inſtituo. Beat. *Mœbium* Diſputatione ſingulari hoc præſtitiſſe fama, non avtopſia mihi innotuit, præter eum nemo in Diſputatione (ſinguli autem ferè Authores ſparſim) quantum novi, deſcripſit. Ego, tàm *Veterum*, quàm *Modernorum* monita & obſervata de dictis præcipua colligere, breviter contrahere, in uſum meum vertere, &, quantum per ingenii vires licet, publico exponere examini conſtitui, limites tamen *Diſputationis* non transgreſſurus. Supremus Archiater DEUS T. O. M. aſpiret innocuis conatibus meis, ut nihil hoc loco proferam, niſi quod rationi & experientiæ conſonum, futuræ Praxi Medicæ velificetur, & certiſſimam ægrorum ſalutem procuret.

§. I.

CLyſma Græciæ ſuos debere natales nullus negabit, ſiquidem à verbo κλύζειν, quod abluere, lavare ſignificat, (unde Latinis Abluitio, Collutio, Lavamen, Lotorium, & Gallis in ſpecie Lavement audit;) fluit Κλύσμα, Κλυσμὸς, Κλυςὴρ, Κλυςήριον, quæ & ipſa nomina jam pridem Romana Civitate donata frequentius hinc inde occurrunt; imò ad ipſos Germanos promanarunt, qui hoc remedii genus appellitant ein Clyſtier. A modo applicandi vocatur Enema ab ἐνίημι, immitto, infundo, injicio, hinc rectè nonnullis dicitur Infuſio, Injectio. Accuratioribus Enema liquorem immitendum, Clyſter Inſtrumentum injectioni inſerviens dicit. Ἔλασμα, rarum

ver-

verbum, fiſtulam immittendam, ut injectio liquoris fiat, non Clyſterem ipſum dicit; vid. *Van der Linden Select. Med. Exerc. 4. numer. 101.* Ne quem autem *Homonymia* offendat, ſciendum Clyſteres non unum in Medicina ſenſum obtinuiſſe, latum ſcilicet, ſtrictiorem, & ſtrictiſſimum. Latè dicunt quasvis Injectiones factas in Cavitates corporis vel naturales, e. gr. in os, nares, aures, uterum, veſicam, unde ubique apud Practicos Clyſteres Auriculares, Veſicales, Uterini, &c. leguntur: Vel p. n. nempe in abſceſſus, fiſtulas, aliaque ſinuoſa ulcera. Huc pertinet Clyſmatica nova, Chirurgia alias Infuſoria & Transfuſoria dicta, hoc ſeculo inventa. In illa varii Liquores Medicamentoſi in venam ægri apertam immittuntur, tùm varia experiundi, tùm ſanitatis recuperandæ gratia; in hac verò ſanguis ex uno Animali in aliud, imo in ipſum hominem à Nonnullis infunditur. Vid. poſt *Alios B. Ettmüll. de Chirurg. Infuſ.* Secundariò & minus propriè adhuc à multis, præſertim à vulgo accipitur Clyſter pro ipſo inſtrumento, cujus ope medicamentum in anum injicitur. Licet quidem utraque liquor & inſtrumentum, docente Celeberr. *Wedelio de Comp. Medic. p. 83.* ad unum perfectum conſtituendum actum requirantur, nec unum ab altero ſejungi queat. Ego verò generalem hunc ſenſum, & omnes ſub eo comprehenſas ſpecies mitto, ſpecialiſſimè & ſtrictiſſimè ſumtum Clyſterem hic ſubintelligens, quem ſequenti modo lubet deſcribere.

II.

Clyſter eſt *medicamentum liquidum, quod beneficio inſtrumenti appropriati, per guttur inferius, pro vario medendi ſcopo, in Craſſa Inteſtina injici ſolet.*

III.

Communi Authorum Conſenſu, primus hujus remedii *Inventor* eſt Ibis, avis in Ægypto ciconiis noſtris parum diſſimilis, quæ referente *Plinio* lib. 8. c. 27. ſentiens in Inteſtinis moleſtiam quandam, Nili aqua colli cutem repletam, mediante roſtro, cujus aduncitatem in anum immittit, evacuat, hacque ratione inteſtina abluit, eluitque, & ſe à moleſtiis prius infeſtantibus liberat. Hæc quidem nunc in dubium non voco, ſed id, an ſola hæc avis, & non potius ipſa natura hoc remedii genus homini detexerit, conſtat enim toto die, quam ingenioſa ſit illa in hominis ſalutem, non tantùm varias variorum humorum inſtituere evacuationes, ſed & ipſorum excrementorum non

uno modo peccantium in multis spontaneis alvi profluviis tentare sæpe exclusionem. Ipsos etiam ægros vel ex impatientia, vel ex desperatione non raro nova medicamentorum excogitasse genera observationes testantur, sic legere est in *Ephem. Cur.* Ann. 1. Obs. 98. & Ann. 2. Decur. 2. Observ. 44. de duobus ægris, quorum unus Baro cochleari quodam ligneo, alter Nobilis succula, **ein eisernen Spanner/** in anum intrusa, à præsentissimo mortis periculo, quam ipsis Obstructio alvi pertinacior minata erat, se liberarunt.

IV.

Quicquid sit de Inventore hujus remedii, exinde tamen patescit, illud non nostri demùm seculi esse inventum, sed *Antiquissimis Medicis* jam usitatissimum fuisse, variis scriptorum monumentis suffragantibus. Refert *Plutarchus* in Euterpe, Clysteris usum apud *Ægyptios* tàm fuisse frequentem, ut singulis mensibus triduo, sanitatis conservandæ gratia, purgarint se vomendo, atque intestina diluendo. *Herodoto* teste, Clysterum usus ipsis menstruus erat, προφυλάξεως ἕνεκα. Quos imitati *Græci* & *Arabes* non tantùm ad varia intestinorum symptomata, sed & multos alios corporis nostri morbos etiam acutissimos debellandos, Clysmata in usum vocarunt, adque illa velut ad sacram anchoram confugerunt. Neque tantùm in Epilepsia, Apoplexia, Paralysi, Febribus, &c. Sed & in variis, quibus præcipuè peti solet sequior sexus, afflictionibus præscripserunt Enemata, teste *Hippocr. lib. de morb. mulier. Mesue lib. de ægritud. matric.* c. 8. seqq. imò *Hippocrates in Epidem.* ubi longum Catalogum ægrotantium enumerat, Clysterum mentionem facit frequentem. Apud *Hispanos* Clysmatum usus adeo invaluit, ut nullum ferè malum sit, cui non, attestante *Mercato* Op. Tom. 2. l. 1. c. 3. p. m. 59. hoc medicamenti genus profuisse experti sint. *Galli* tantùm non abhorrent, ut la mode frequentiam ipsorum sæpius absque necessitate injungat. Ne jam de aliis dicam Nationibus, quibus hoc præsidium frequentissimum fuit. Si fortè excipias *Germanos* nostros, qui nescio quo fascinati errore, & falsa mentis persuasione, evacuandi rationem per Enemata abhorrent, ut sæpius nullis monitis, nullis precibus illa admittant, quin potius cane pejus & angue detestantes mortem præferre hujus generis curationi videantur. Alii teste *Rosin. Lentil.* Ephem. Cur. Ann. 2. Dec. 2. Obs. 152. Clysmata, non nisi cum jam de ægro conclamatum sit, præscribi existimant, **man nehme**

ihn

ihn für einen todten Mann an / er sey so gut als hin / man gebe kein Heller mehr umb sein Leben. Imò sunt nonnulli, qui referente eodem, ante applicationem Testamentum condunt, exemplo eorum, qui aut Lithotomis aut Celotomis sese subjiciunt. Cum tamen hoc remedium omnium mitissimum & tutissimum sit, ut infra dicam. Sed de hac pertinaci meticulositate inter nos hîc multum hodie remittunt plerique. E Doctioribus quosdam Injectiones has detestari, easque apud ægros suos in odium adducere, jam tum in Præloquio mentionem feci, quorum Antesignanus est Joh. Baptist. *Helmont*, qui Lib. *de febr.* c. 7. & *Pleura furens* §. 28. 33. & 34. Clysteres tanquam pudendum Medentum subsidium nunquam nisi cum pudore se præscripsisse scribit, non solùm quod Intestinis naturaliter sint noxii, ad Ileon nunquam ascendant, sed & quod morbos non tollant, intestinis ignaviam inducant, & quæ alia ejus sunt argumenta, ficulneo innixa fundamento, quæ recitasse est refutare, & post Homerum Iliadem, & post Roscium Comœdiam scriberem, si ad singula illa respondere animum applicarem, cum Solenander etiam indoctiorum rationes S. 3. Cons. Med. 28. refutarit, ac Frid. Hoffmannus in Meth. Med. lib. 1. c. 10. Rolfinc. Meth. cogn. & cur. febr. c. 128. & Buschoff de Podagra & Moxa p. 2. c. 9. jam antea id executi sint. Illud saltem moneo, quod si Enemata ob pudorem deberent proscribi, caderet obstetricum officium, actum esset de Gravidis, aliisque fœminis periculosè decumbentibus, siquidem eadem ratione Pessaria, Injectiones Uterinæ præter fas & conscientiam, quam utique Medicus pensi habere debet, proscriberentur; ne de aliis dicam Operationibus Chirurgicis Hernio-lithotomorum, aliisque medicamentis externis, quæ necessariò partibus verendis sunt destinatæ. Abusum Clysterum, & exinde secutas noxas nullus probabit Medicus Dogmaticus. *Helmontius* simul & rationi, & experientiæ medicæ obloquitur, quæ causa etiam est, quare ab ipsis ferè juratis asseclis suis haud paucis deseritur, ex quorum numero est Fr. Oswald. *Grembs Tr. Med. Theor. Pract.* L. 2. c. 1. §. 5. seqq. ubi contra suum Magistrum in variis corporis humani afflictionibus varia commendat Enemata. De *Paracelso Borrichius* Assertor Chemiæ Paracelsicæ scribit: *Si verum fateri libet, nihil adeò à vero alienum dixit, dum turpissimum medicamen vocavit, sed utilitas vincit turpitudinem. Etiam turpia delectant aliquando, quod de simiis certum.*

Ange-

Angelus Sala, qui initio & ipſemet acriter in Enemata fuerat invectus, non dubitavit tandem non laudare tantùm, ſed & meliores eorum formulas tradere. Nec terreat infelix quandoque ex mala Clyſmatum facta applicatione ſecutus eventus, cum Clyſterem frigidum apud Th. *Barthol.* c. 1. *Hiſt. anat.* 76. calidiſſimum apud *Zacut. Luſit. Prax. admir.* L. 1. Obſ. 142. ægros è vita ſuſtuliſſe legimus. Aliis namque innocentiſſimis remediis ob malam & ſiniſtrè adhibitam adminiſtrationem idem contigit fatum, ſic poſt Scarificationem mortem narrat *Zac. Luſit.* l. 1. obſ. 66. à Purgatione alium fato ceſſiſſe *Idem* obſervat. 68. teſtatur. *Celeberrimus Francus* de Clyſteribus habet ſeqq. *Cùm alterum jam haberet æger pedem in Cymba Charontis, quod dicitur, alterumque ſimul eſſet illaturus, Clyſter demum olim adhiberi ſolebat, adeoque velut ſignum, imo per imperitiam vulgi judicantis ſæpe ut cauſa lethalitatis allegabatur. Hinc multi, qui vitam ſibi longiorem, vel ſuis etiam, optabant, imaginatione mortis certò ſubſecuturæ, Clyſterem plusquam Vatiniano proſequebantur odio. Innocentius tamen, minimèque nocivum remedium vix ac ne vix quidem invenitur ipſo Enemate; adeoque & infantibus nuper natis, nedum adultioribus hominibus tutiſſimè applicatur quamplurimis in morbis, e. g. torminibus, convulſionibus, flatibus, intemperie bilioſa, imo quavis; febribus, capitis, oculorum & thoracis affectibus; malo hypochondriaco, ſcorbuto, diarrhœa, dyſenteria, colica maximè, iliaca, enterocele, ſcirrho teſtium, calculo renum & veſicæ, parturientibus, hydrope, &c. præter teſtimonia plurimorum Authorum, hæc quotidiana ſalutarisque confirmat experientia.*

V.

Vocavi Clyſma medicamentum liquidum, quò innoteſcat, ſermonem hîc non eſſe de Clyſteribus ex Fumo Tabaci conflatis, à Turcis primò inventis, quos poſtea imitati Angli ſingulares, neque à Barbarorum Fumiductibus valde diſcrepantes, excogitarunt machinas, quibus fumum illum in Inteſtina inſufflarent, quarum delineationem, adhibitis iconibus, accuratè exhibuit Joh. Andr. *Stiſſerus* in peculiari Tractatu *de Machinis Fumiductoriis*, ubi ſcribit ſe novo hoc præſidii genere mira præſtitiſſe, non tantùm in ſedandis ventris torminibus, ſed & maximum auxilium adverſus Hyſtericam Paſſionem, Epilepſiam, Apoplexiam, Hydropem, Dyſenteriam, &c. ope iſtiusmodi Clyſterum paraſſe. Contra Colicam itidem præſentiſſimum

mum

mum medicamentum ex Clysteribus ex fumo tabaci immissis promittit Th. *Barthol.* Cent. 4. Epist. Med. 92. p. m. 523. Præter fumum tabaci, alia adhuc ex variis medicaminibus in fumum facilè resolubilibus suffimenta in anum immissa, felicissimè in gravissimis & desperatis ferè affectibus in usum traxisse testatur *Author* modo laudatus. De horum autem Clysmatum usu viribusque agere, instituti mei ratio prohibet, cum potius in illorum Clysmorum indolem ac naturam, qui ex liquida componuntur materia, inquirere animus sit. Si quis autem *quærat:* Quare fumus tabaci minori cum periculo in intestina infunditur, quàm decoctum ex foliis nicotianæ paratum? Cujus usum subitò præcordiorum anxietates, lipothymiæ, sudores circa frontem frigidi, totius feralis quasi pallor, aliaque similia symptomata insecuta sunt, teste B. *Ettmüll. de Præscript. Form.* p.m. 184. Idem ferè, sed feliciori cum eventu expertus est *Celeberr. Waldschmid*, qui Clysterem ægro cuidam Epileptico ex decocto foliorum nicotianæ applicatum, tanta efficacia alvum & vomitum movisse, ut animam agere videretur, optimè tamen curam successisse, & Epilepsiæ paroxysmum discussum fuisse, refert in *Ephem. Ann.* 2. Dec. 2. Obs. 51. *Respondeo* 1. Haud raro Clysteres, quos Decoctum Nicotianæ non ingreditur, per accidens talia inducunt symptomata, non tàm sui, quàm dispositionis corporis, cui injiciuntur, culpa. 2. Haud exigua inter fumum & decoctum medicamenti est differentia.

VI.

Corpus sive *Materia primi Ordinis*, ut in Pharmaceuticis loquuntur, Enematum est vel Liquor simplex, vel compositus, sive Decoctum vel Infusum ex variis ingredientibus paratum. Ille *Antiquissimis Medicis* solummodo notus erat, (utcunque *Arabibus* Clysteres Compositi etiam suo tempore innotuerint,) totumque Clysmatum corpus constituebat, pro vario medendi scopo, sicut & nobis hodieque varius. Inter Simplicia illa, quæ injiciuntur, sunt aqua simplex, marina, fontana; Hanc vehementer salitam, pro magno secreto, in alvo sollicitanda, venditat *Mynsicht*, nec unquam fallere asserit in suo *Armam. Chym.* Sect. 32. Irritum tamen ejus successum in Colica, acutissimaque alvi obturatione expertus est *Sam. Ledelius*, Eph. Ann. 3. Dec. 2. Obs. 100. aqua hordeacea, chalybeata sive ferrariorum, Acidulæ, Thermæ, aquæ destillatæ; Cerevisia; lixivium

hydromel; Olea varia, uti *Galenus* ipſe ex ſola infuſione olei rutacei, cum acerbiſſimo dolore colico afflictus eſſet, convaluit. Ex ſolo oleo vel uno, vel quibusdam mixtis injectis Clyſter in pertinaciori alvi obſtructione, item contra ſcybala indurata prodeſt. Huc revoca Lac vaccinum, caprinum, ferratum, & in quo ſilices igniti aut alia aliquot vicibus fuerunt extincta, ſerum lactis; juſcula, brodia; Vinum dulce, malvaticum, Hippocraticum, quo ſolo mulierem gravisſima Colica vexatam curavit *Rondelet. lib. de Medic. Intern.* p. m. 13. generoſum in Colica Scorbutica ſuadet *Wedelius*; imò acetum, quod in Ulceribus Inteſtinorum adhibuit *Meſue lib. de dol. Inteſt. c.3.* Neque Urina propria aut pueri vinum bibentis omittenda eſt, præcipuè in Hydrope, Aſcite, Tympanitide, ex Obſervatione *Michaëlis, Williſii, Aliorumq́;* ita in dictis caſibus Urinam humanam pro Enematibus feliciter adhibuiſſe *Petrum à Caſtro* referunt Ephem. Ann. 2. Obſ. 158. Siquidem ſalina & rigida Urinæ corpuſcula tubulos, mæandrosque Inteſtinorum exiguos aperiendo, fibras inteſtinales vellicando, laticem ſeroſum in abdomine fluctuantem verſus inferiora proliciendo, ad Inteſtina reducendo, viam ad elabendum monſtrant. Quid dicam de ſanguine brutorum adhuc calente, quem in Dyſenteria, immodico Hæmorrhoidum fluxu, injiciendum ſuadent *Platerus*, *Riverius*, *Wedelius*, omnemque fluxum ſanguinis ex tali injectione mirabiliter compeſci poſſe ſcribunt. Salſus etiam muriæ liquor, quem *Veteres* teſte *Rondeletio* l. c. p. m. 17. in Coxendico dolore, & ulceribus inteſtinorum depaſcentibus injicere conſueverunt. Clyſteres ex ſolo Spiritu vini *Oſvvaldus* celebris Chimicus quondam in Colica Spaſmodica, ad ſal Ponticum, quod ipſe mali cauſam accuſavit, enervandum injiciendos ſuaſit.

VII.

Utcunque hæc Simplicia parabilis copiæ ſunt, & ſuo effectu non aſpernabili gaudent, noſtris tamen temporibus frequentiori in uſu ſunt Liquores Compoſiti, qui partim ex dictis Liquoribus componuntur; partim ex aqua cum furfuribus, piſcibus, paſſulis, prunis, fumaria, ſumach, aliisve variis decocta; ex brodiis caſtratorum gallorum, capitis, pedum Vervecis, Vituli, Inteſtinorum arietis; ex jure gallinarum, cicerum, oryzæ, mugilis piſcis, vel ſaxatilium, vel oſtreorum, & aliis, in quibus decoquuntur l. infunduntur Ingredientia varia, pro varia Medici intentione multis morbis, partibus-

que

quæ afflictis opponenda. Clysteres siquidem non tantùm ad alvum emolliendam, expurgandam, flatus discutiendos, vermes occidendos, præscribuntur, sed eorum usus in sexaginta aliis affectibus, quanquam in remotissimis partibus hospitantibus, pro derivatione, diversione, revulsione, Spirituum sopitorum excitatione, &c. expetitur. Decoqui autem, aut aliquando, quod rarius fit, infundi pro parandis Liquoribus Compositis ad Clysteres possunt ex Regno Animali varia, ex quorum censu sunt Extrema brutorum, Capita, Intestina, Omenta, Pedes agnorum, hædorum, arietum, vitulorum; C. C. (quo ejus gelatina melius extrahatur) stercus pavonis, columbinum, asininum, equinum, caninum, quæ duo posteriora *Willisius* commendat in Tympanitide. Reliquæ Animalium partes, medulla nempe, mel, butyrum, lac, &c. aut Liquorem constituunt, aut Decocto adjiciuntur, inque illo dissolvuntur. Ex Regno Vegetabili quæ huc trahuntur, usitatissima solent esse, pro varia medica intentione, talis enim, ut dicam brevi pòst, multiplex per Clysmata executioni datur, Varia, quæ vel sola in liquore decoquuntur, vel illis adjiciuntur. Et hæc vel integra, vel una aut altera sui parte coctionem subeunt, uti folia, flores, fructus, semina, radices, cortices, ligna &c. quorum uberiorem & accuratiorem notitiam qui desiderat, adeat *Practicos* medendi Magistros, & *Pharmaceuticos* Artifices. Ex Regno Minerali non multa subjectum & materiale Decocti constituere solent, plura etenim non nisi colato jam liquori demum adduntur. Inter quæ Quidam assumunt Crocum Metallorum, sed ille tutius decoquitur, atque non nisi, ubi acriori & fortiori stimulo opus est, e. gr. in Epilepsia, Apoplexia, Melancholia, Comate, & aliis soporosis affectibus, & quidem in exigua quantitate in usum duci debet. Huc accedunt cerussa, lapis hæmatites, terra sigillata, bolus armena, & alia Adstringentia, quæ *Antiqui Medici* simul liquori pro decoctione adjiciebant, licet rarius; crebrius n. illa Colaturæ demum affundebant, de quibus autem in seqq.

VIII.

Liquori, de quo hactenus, sive simplici, sive ex simplicibus mixto, sive, post dictorum materialium Decoctionem aut Infusionem, ritè ad leges Pharmaceuticas factam, per pannum colato varia admisceri solent medicamenta, vel pro scopo medico augendo, vel ingrediens unum aut alterum corrigendi, demulcendi, mitigandi, irritandi, stimulandi, &c. intentione. Dicuntur Talia *Materia secun-*

di & tertii Ordinis, & sunt variæ consistentiæ, l. Simplicia, l. Composita, itidem ex penu trium Regnorum deprompta. Prioris generis sunt Sal commune, marinum, Sal Gemmæ, quæ non solùm alvum proritant, sed & Enematis exitum facilitant; præter quod eadem ob particulas rodentes, mordicantes, in Dysenteria, aliisque intestinorum læsionibus, locum ægre inveniant. Nitrum Veteres pro Sale adjiciebant, rati hoc magis adstringere, illud verò plus abstergere. Vitelli ovorum ideo, quod lubricant, mitigant, asperitatem obtundunt, & intestina ab acrimonia defendunt, multis adduntur Clysteribus. Admiscentur etiam mel, saccharum album, rubrum, Thomæum alias dictum, illud ventrem magis laxare, magis abstergere, quàm album annotat *Zvvelferus Animadvers. in Pharmacop. August.* pag. 76. butyrum, pinguedines, axungiæ, sevum hircinum, sive cervinum, quod omnem abrasionem impedit, intestina oblinit, obducit, unde Lorica intestinorum nonnullis audit; recens autem sumatur, cum vetus teste *Osvv. Grembs. Tr. Med. Theor. Pr.* L. 2. c. 1. §. 5. acredinem contrahat, noxiumque sit; idque cum Vitello ovi, ne denuo congrumescat, inque coagulum abeat, subigatur; *Galenus* lib. 12. *Meth. Med.* & Lib. 1. de *simpl. facult.* c. 36. illud prius cum modico oleo rosato temperandum, & probè calefaciendum suadet. Sevi loco Candelam Vulgarem usurpari posse docet *Morellus Meth. præscr. form. l. 2.* sect. 2. c. 14. cum ejus litu excoriationem statim persanari videamus. Adduntur etiam vinum, acetum, succi, ex quibus succum Cancrorum fluviatilium in Dysenteria, tàm in jusculis, quàm Clysmatibus commendat *Laudatus Francus*, & quo vix contra Gangrænam intestinorum remedium aptius dari experientia didicit *Celeberr. Brunnerus*, in Eph. Ann. 6. Dec. 2. obs. 195. p. 392. ex Sapa sola Clysteres injectos Urinas atras reddidisse, ab interno tamen ejus usu nunquam tale quid sibi contigisse refert *Famigeratiss. Schröck.* in Eph. cit. obs. 8. p. 28. Balsami Peruviani vires in ulceribus, aliisque infimi ventris afflictionibus maximè evehunt *Practici*; prodit *Laudatus Schröck* Eph. Ann. 3. obs. 76. se juvenem quendam atrocissimis ventris torminibus, nullis remediis etiam narcoticis cedentibus, afflictum Clystere, cui Balsam. Peruv. ʒj. adjecta fuerat, brevi tempore pristinæ restituisse sanitati; eundem balsamum in ulceribus intestinorum extollit *Osvv. Grembs* l. a. lib. 2. c. 1. Consule porrò, si

rò, si libet, de viribus balsami hujus *Aug. Thoner*. Obs. Med. 12. lib. 4. Præterea piper, sinapi, macis, mastiche, camphora, cera nova; manna Calabrina, fel tauri, hirci, bovis ad occidendos vermes; muria piscium; Caseus vetus assatus, quem *Veteres* pro astringendo usurpabant. Terrea itidem & Gummosa, scil. bolus armena terra sigill. lemnia, lap. hæmatit. corallia, spodium, lythargyr. charta combusta, gummi arabicum, ammoniacum, & alia Adstringentia, quæ pulverisata *Antiqui* Colaturæ adjiciebant; quos autem meritò *Recentiores* reprehendunt, cum talia parietibus intestinorum se affigendo, adglutinando, membranas eorum exulceratas, & ob mucum abrasum valde sensiles magis offendant, dolorem augeant, aliaque periculosiora excitent symptomata; sic ex sagapeno, ammoniaco, & aliis similibus injectis subitò Nobilem quendam extinctum esse refert *Rondelet. de Med. Int.* p. 13. Sin ob urgens quoddam & inevitabile Indicans talia præscribere Medicus cogitur, ad præceptum *Rondeletii*, *Weckeri*, aliorumque in mortario aut cote, ad normam Pictorum, ejusmodi Adstringentia probè contundantur, oleo permisceantur, & si qua crassamenta in fundo resederint, abjiciantur. Alii denique Pastillos ex arsenico, calce viva, auripigmento rubro, aliisque dissolvunt, teste *Fabric. Hildano* de Dysent. c. 10. sed hæc, quia caustica, erodentia, venenosa, summos cruciatus, convulsiones, imo mortem ipsam inducere notat idem l. c., suadenda non sunt.

IX.

Ex Compositis primùm se offerunt Salia fixa & volatilia, quæ Enematibus addita efficacissima esse in Suffocatione Hysterica, Epilepsia, &c. docet *B. Ettmüll. Comment. ad Schröd. P. 2. p. m. 80.* Nitrum præparatum, Antimoniatum ad leniendum, abstergendum, Tartarus Vitriolatus, cremor Tartari, Antimoniũ Vitrificatum, quod non solùm minus noxium, quàm Elect. Diaphœnicon, verùm etiam multò efficacius esse putat *Quercet.* Pharm. Dogm. Rest. c. 18. Crocum Metallorum adeo fortiter stimulare, ut vomitus post ejus injectionem consecuti sint, tradit *B. Ettmüllerus.* Admiscentur saccharum rosatum, mel anthosatum, rutaceum, mercuriale, composita varia; oxymel; Butyra varia composita; sed omnium frequentissime Olea varia expressa, cocta & destillata, circa quæ monita vid. apud *Celeberr. Wedel. de Comp. Med. & Frid. Hoffmann.*

Meth. Med. l. 1. c. 10. Nec minus crebrò Clysmis addi solent confectiones, Electuaria alterantia, lenientia, purgantia; Mithridatium, Theriaca, quam in Hypercatharsi & Dysenteria Epidemica mirificè & subitò prodesse scribit *Morellus* l. c. p. m. 314. Terebinthina Veneta, eaque vel sola, vel in Vitello ovi dissoluta, quam cum Enemate in anum injectam Urinam violaceo tingere odore jam *Antiqui* observarunt Authores; ejus a. particulas balsamicas non tantùm intestina confortare, sed & in sanguinem raptas, cumque eo per totum corpus circulatas, Urinam causamque morbificam stagnantem agitare, acetosam aut alio modo peccantem in meliorem crasin disponere docet *Willisius*. De Cassia ejusque Pulpa *notat Regn. de Graaf lib. de Clyst.* illam sæpe majori damno, quàm commodo Clysmatibus addi, cùm in parva dosi admixta nihil operetur, in magna autem quantitate addita Clysterem pultaceum reddat, aliorumque remediorum virtutem impediat; illa quoque (ut & Elect. Diacatholicum,) in Renum doloribus, ulceribus, flatuum proventu à nonnullis ex Clysteribus eliminatur, quia non solùm flatus gignendo malum augere censent, sed & ardorem Urinæ ab ipsa reddi intensiorem observavit *Horst. lib. 2. Epist. med. sect. 14.* Huc referas Mucilagines psyllii, tragacanthi, &c. Unguenta, Linimenta, Emplastra, quæ prius in oleo, quò promtius ex instrumento in alvum infundi queant, probè sunt liquefacienda; Syrupos pro varia intentione varios, ex quibus Syr. Emeticum Ang. Salæ in convulsivis Paroxysmis loco Vomitoriorum, Clysteribus pro acriori stimulo addit *B. Ettmüll. Op. Theor. Pract. P. 2.* p. 287. Non excluduntur Pulveres, Pilulæ, Extracta, Trochisci de arsenico, de stella, de charta, de spodio, &c. quos Veteres in Corrosionibus & Ulceribus Intestinorum in usum traxerunt: sed ad illos Cautelam supra §. 8. de Astringentibus notatam applicare licet. Neque è Galenicis Looch, Roob, è Chymicis Essentiæ, Elixiria, Spiritus, Tincturæ, Balsama hic exulare possunt. Nè tamen quis censeat, me ab illorum stare partibus, qui eò magis idoneum putant Clysterem, quò pluribus constat: nam quò simplicior, qui ex paucioribus constat, eò melior est.

X.

Ex dictis & dicendis constat, varias esse Clysterum *Differentias*: siquidem ratione Compositionis Clyst. alium esse Simplicem, alium Compositum jam dixi: Alius tàm propter Ingredientia, quàm

propter

propter Modum præparandi ex Pharmacopolio petendus est; Alius ex Medicamentis Domesticis & ubique obviis facilè à mulierculis etiam parari potest. Emolliendi, alvum ciendi, dolores leniendi, aliaque intentione & frequenter & feliciter applicari suadet *Excellentissimus Dn. Præses, Præceptor atque Patronus meus æternùm Colendus* Clysteres Domesticos, ex vel lacte, vel juscul. carnium, vel cremor. hordei & butyr. vitell. ov. mell. cum vel sine sale, optatiori cum eventu, quàm si prolixis, ex Purgantium aut aliorum farragine coacervata concinnati injicerentur. Vocantur quidam Clysteres Specifici, ob medicamenta ingredientia, quæ censentur vulgò Specifica. Ab Effectu, quem præstant Clyst. & quidem vel respectu habito ad morbos, alius appellatur Antidysentericus, alius Anticolicus, alius Nephriticus, alius Hystericus, &c. Vel respectu ad usum alius est purgans, alius alterans; alius emolliens, adstringens, acris, demulcens, &c. alius carminativus, alius anthelminthicus, alius anodynus, alius travmaticus, & quæ aliæ ferè infinitæ sunt species, à facultate operandi desumptæ. Clysma Polychrestum, quod multis satisfacit Indicationibus, plurimisq; in morbis, ex Lact. bubul. ℔j. terebinth. ven. in vitell. ov. dissol. ℥ß. mell. ros. ℥vj. commendat *B. Ettmüllerus* Dysentericis, Nephriticis, Hystericis, Scorbuticis. Quæstio inter Practicos occurrit vexatissima, de qua hîc breviter ob libertatem ordinis in tali Dissertatione: *An dentur Clysteres Nutrientes?* Affirmativam sententiam Quidam tàm *Antiqui* quàm *Moderni* speciosis suffulciunt argumentis, rati liquorem dulcem, blandum, alibilem per Enemata infusum, urgente necessitate, quando nimirum pueri, senes, ægri anginosi, utero suffocati, fame tabida emaciati, omnibusque viribus exhausti, vel ad omnem cibum assumendum sunt nauseabundi, vel fibris œsophagi resolutis, spasmodicè affectis, nullum alimentum deglutire possunt, vel deglutitum per vomitum omne rursum reddunt, talem, inquam, liquorem à famelico Ventriculo allici, inque Chylum converti, aut ab ipso Hepate statim ex intestinis per Venas Mesaraicas ejus quasi manus attrahi, inque sanguinem & nutritium concoqui succum. Quin ipsum quoque χυλώσεως negotium Intestinis assignant, cum eorum & ventriculi eadem sit substantia, eadem continuitas, idem color, eadem temperies; Observationes ex *Mesue* lib. de febr. c. 4. *Fabr. Hildano* in Cent. 4. Obs. 3. adducunt. Clysteres autem tales Nutrientes conficiebant ex vino, juscu-

juſculis, emulſionibus, gelatinis, vitellis ovorum, ex melle, ſaccharo, &c. imò ipſam Confectionem Alkermes hac intentione cum Clyſteriis infundere non veretur *Petrus Morellus* l. c. p. m. 314, Sed utique dubitare licet de hiſce aſſertis utcunque *Clariſſimorum Authorum*, quia, ut taceamus de Ventriculi ac Hepatis vi attractiva à *Recentioribus* ubiq; exploſa, hujusque Officina Sanguificatoria jam dudum quoque deſtructa, nemo certè comprehendere poteſt, quomodo ex liquore quodam licet blando in anum injecto, Chylus aptus ad ſanguinis & nutrimenti elaborationem inter ſcybala elici poſſit; cum non imbuatur ventriculi Charactere illo, qui ad omnem chylificationem, & materiam ſanguini ejusque particulis nutritioni aptis ſuppeditandam eſt neceſſarius; partium itidem heterogenearũ ab homogeneis nulla fiat idonea ſegregatio, ob bilis & ſucci pancreatici defectum, Clyſmos enim ad tenuia Inteſtina naturaliter non aſcendere infra patebit. Omnia tandem per inferius guttur injecta, ſi diutius quàm par eſt, (quod autem Patroni horum Clyſmatum exigunt,) retineantur, putrida fiunt & cadaveroſa; refert *Helmontius* lib. de feb. c. 7. ſe vidiſſe in fortioribus juſcula cadaveris fœtore horrentia rejecta, in tenerioribus verò deliquia moviſſe: Prætereo ipſum jam in Ventriculo elaboratum Chylum, ob dictorum humorum vitalium abſentiam, non rarò, ſuffragante experientia, varia putredinis & corruptionis contrahere vitia. Non negamus quidem Chylum ultimam perfectionis ſuæ manum accipere in Inteſtinis; ſed quod cibus per inferiora ingeſtus in verum ac laudabilem chylum, absque ventriculi opera transmutari queat, nullus unquam evincet. Abſit tamen ut Clyſmis omnem denegemus virtutem refocillandi, Spiritus languidos confortandi, vigorandi, cum indies videamus à variis odoramentis exterius ſaltem applicitis vires deficientes conſervari, Spiritus delaſſatos, diſperſos recolligi, recreari, quidni & penetrantes, ſubtiles ac ſpirituoſæ Clyſmatis ἀπόῤῥοιαι oſcilla vaſorum meſaraicorum tàm ſanguinem quàm lympham vehentium ſubirent, ſanguini lege circulationis communicatæ Spiritibus ſuave ſolamen, refectionem gratam, activam ſubtilitatem conciliarent? vid. *Excell. Dn. Præſidis Diſp. de Modo ſubit. refect.*

XI.

Circa Præparationem & inſequentem Applicationem occurrit *Quantitas* Liquoris pro Clyſtere infundendi, quam ægri vires, ætas, mor-

morborum diversitas, & retinendi intentio, & quæ sunt hujus notæ plura, limitant atque determinant. Ordinariò quidem pro infantibus ℥ij. usque ad ℥iv. præsribunt, nec ultra ascendunt Medici, idque ob tenellam minusque capacem intestinorum structuram. Pueris sufficiunt ad summum ℥vj. l. vij. Adultioribus infundunt ℔j. progrediuntur usque ad ℔jß. ad ℔ji. Dn. *Præses* ultra ℔j. non ascendit. Interim ab Ordinaria Quantitate non tantùm deflectere cogitur Medicus in subjectis senilibus, languidis, modo convalescentibus, in gravidis, & quibus intestina tenerioris sunt texturæ; sed & sæpius pro Affectuum diversitate Dosin Clysmorum immutare, minoremque solita præscribere Medicus prudens tenetur, nam in colica, alvi stipticitate, flatuum copia, in dysenteria, lienteria, tenesmo, hernia, hydrope, in calculo & inflammatione Vesicæ, Renum, Uteri, inque variis Prægnantium morbis, si insignis Quantitas immitteretur, graviora certè inde ægrotis accederent mala, ob nimiam intestinorum repletionem, Ureterum, Vesicæ, Renum, Uteri compressionem. Eadem Cautela attendenda in Dyspnœa, Asthmate, ne à repletis intestinis Diaphragma compressum pectoris augeat angustias. Idem dictum sit de Enematibus, quæ diu intra corpus sunt detinenda, vel ob doloris mitigationem, ulcerum consolidationem vel alia ex intentione, cum alias justò citius illa effluerent. In similibus ergo casibus Dosis Clysmatum sit ab ℥vj. usque ad ℥viij. ℥x. nec ultra dictos limites temerè transgredi licet; aut Quantitate Ordinaria servata, successivè & per vices Clyster injiciendus; ita ut si una medietas fuerit applicata, post unam atque alteram horam pars residua infundatur. Quantitas Ingredientium, & quidem Liquoris est ℥j. ad ℔ß. vel ℥viij. Miscendorū ʒij. ad ℥iij. vel iv. In specie Electuar. & sim. ʒij. ad ℥ij. Reliquorum pro efficacia parum, à gutt. iij. gr. paucis, ℈ß. ʒj. ad ℥ß. Liquor. in quo Decoctio fieri debet, ℥iij. ad ℔iß. ℔ij. Residui à Coctione ℥ß. ad viij. Decoquend. aut Infundend. à ʒj. ij. ad ℥j. In specie pro Purgantibus Clysmis Purgantium dupla vel tripla dosis, qualis per os assumi solet: Miscendorum & Dissolvendorum modo dicta est. Quantitas *Evacuationis* à purgantibus in inferiori gradu in una, in medio in 3. vel 4. in summo 5. aut 6. dejectionibus consistit.

XII.

Quantitatem excipit *Qualitas*, circa quam graviter impingunt illi, qui Clysteres valdè Calidos infundunt, cùm caloris excessus membranas intestinorum, fibrasque nerveas non possit non exurere, corrugare, aliasve periculosiores inferre molestias, teste experientia, mortem enim ex Clysmate calidissimo applicato subsecutam fuisse in §. 4. audivimus: præsertim verò Gravidis, & aliis, qui intestina habent sensu acutissimo prædita, Clysmi calentes valdè sunt infesti. Nec minorem committunt errorem, qui in febribus, & aliis morbis calidis actu Frigidos adplicant Clysteres, omnia siquidem frigida omnibus membranis nervisque sunt inimica, & ano, vesicæ juxta *Grüling. de tripl. evac. gen.* P. 2. p. 291. nocent, flatusque gignunt. Ex Enemate actu frigido Serenissimum Infantem, brevi post applicationem, convulsum obiisse meminit *Laudat. Wedel. de Comp. Med.* p. 92. Ne dicam, Archeum in febribus ardentibus jam tum exorbitantem, ad præsentiam medicamenti cujusdam actu frigidi, magis ad iram concitari, sanguinis Orgasmum hinc augeri, &c. Clysmi tamen potentia frigidi, qui ex Medicamentis refrigerantibus & humectantibus sunt compositi, in dictis casibus non improbandi. Media igitur utpote tutissima incedendum via, & Clysteres non nisi moderatè calidi sive tepidi sunt injiciendi, calore tali, qualis est urinæ modò emictæ, aut lactis modò mulcti, tali Vesicæ continentis liquorem injiciendum calore, qualis oculum clausum, manum exteriorem non lædit: quò blando & paregorico ejusmodi fotu Intestina multis malis afflicta recreentur ac demulceantur. In Dysenteria teporem magis quàm calorem commendant.

XIII.

Proximè nunc transeo ad *Instrumenta*. Ex omnibus usitatissima est nobis *Germanis* Vesica suilla affixa cannulæ in anum inserendæ, quæ ex ligno buxeo, vel ebore, vel cornu, vel metallo est confecta, multisque foraminulis perforata, in quam liquor Clysmatis immissus, mediante manuum compressione in Intestina effunditur; cujus usum olim quoque familiarem fuisse ex *Galeno* colligere est. *Gallis* & Quibusdam hodie *Germanis Gallizantibus* ferè sola Syringa, vel Sipho amplus & stanneus, vulgo eine Sprüße/ in usu est, quo mediante Liquorem longè altius latiusque in abdomen impelli, quàm communi nostro Instrumento, credunt. *Belgis* magis in usu est Instrumen-

mentum *Gräfii.* Singula autem hæc cùm vix citra pudorem, ob partium denudationem applicari possint, indeque ægri, sequior præsertim sexus, cui maximè natura verecundiam commendavit, à Clysteriis plus nimis abhorreant, imo ut mori interdum malint, quàm ea admittere, teste *Gabelkovero* l.c. qui sæpe expertus est multas mulieres interiisse, cum concedere nollent, ut Enemata ipsis injicerentur. Complures ideò *Practici*, quò inique diffamato huic remedio debita restituatur fama, novorum Instrumentorum Inventioni incubuerunt, quorum beneficio ægri sibi ipsimet infundere queant Clysmata; nec eos destituit fortuna, nam *Fabr. Hildanus* Lib. de dysent. c. 10. & Obs. Chir. 77. Cent. 1. non incommodum pro hac intentione delineat Instrumentum: aliud *Joh. Scultetus* describit in Armam. Chir. Tab. 13. fig. 5. & Tab. 42. fig. 8. non minus *Joh. Heurnius* Meth. ad Prax. lib. 1. tres depinxit similium Instrumentorum formas. Accuratus in his fuit *Regn. de Graaf.* qui l. c. p. 372. & seqq. Instrumentum à se inventum in figura ad vivum sistit, quo facillimè vel ab ægris ipsis, vel astantibus, absque ulla partium denudatione, extra lectum Enema applicari potest. Exactam illius delineationem quia pagellæ angustia renuit, meminerit Lector illud à Barbarorum & Anglorum Fumiductibus non multum differre, nisi quod funiculus ejus coriaceus cera, sevo & tinctura Umber dicta obducatur, quo liquor infusus per corii juncturas erumpere nequeat. Minimè hîc reticendus est Modus Clysteres adplicandi, quem *Joh. Paters. Hain* in Ephem. Ann. 3. Obs. 221. communicat sequentibus verbis: *Indatur Vesicæ Clyster, & satis comtè ligetur, ita ut à Canna non dependeat Vesica. Indatur Canna in Intestinum rectum, & applicans super duro scamno insideat Clysteri, tùm pondere corporis premat Vesicam, ex qua lentissimè sine omni fastidio exprimat totum Enema. Nec ego nunc alio utor modo, & pudibundis meis ægrotis, præsertim fœminis, res est gratissima.* Eundem ferè modum, sed de suo Instrumento, ægris commendat *Fabric. Hildan.* Cent. 1. Obs. 78. Monstravit mihi *Excell. Dn. Præses* Cannulam artificio singulari paratam, quæ si modo communi applicetur Vesicæ, quivis æger licet debilis, decumbens absque labore sibi ipsi immittere potest Clysterem.

XIV.

Locum pro his Injectionibus recipiendis in Definitione designavi Intestina Crassa, ut pateat, Clysteres non per os assumendos

 esse,

esse, quod tamen non rarò à Rusticis, qui fortè sibi persuaserunt, ridiculum esse capiti laboranti via postica succurrere, factum esse, & quidem citra ullā noxam testatur *Wedel.* l. c. p. 86. *Controvertitur*, an Enemata ultra Crassa Intestina in Tenuia ascendere queant? quod experientia confirmare videtur, cum Clysmata ac Suppositoria etiam filo alligata, per os reddita esse multi ex Veteribus & Modernis referant Anatomici; idemque hodienum contingere nullus dubito, quando scilicet Valvula à Bauhino reperta in principio Coli, & fine Cæci posita, p. n. distenditur, relaxatur, subsidet, vel rumpitur, vel peristalticè inversè movetur, vel alio modo læditur: sed quod corpus Clysmatis absque tali, sed rariori, vitii valvulæ casu, ultra Crassa transferri possit, nemini facilè concedimus, siquidem Valvula dicta tam arctè, teste *Græfio* lib. sæpius cit. p. 366. claudit viam, ut si follibus intestina crassa in hominibus, porcis, &c. inflentur, nullus tamen ad tenuia pertingat flatus. Situs intestini Coli, qui versus hepar & ventriculi fundum tendit, non tamen Colon Valvula superius dicit. Subtiliora tamen Enematis effluvia altius intra corpus nostrum penetrare in superioribus probavimus; quod etiamnum ex Observationibus demonstrari potest, nam *Borellus* ex vino per Enema injecto Ebrietatem, & *Rhodius* Cent. 1. obs. 38. ex vino cum aromatibus in anum infuso ebriosum observavit delirium; ex Clysmate Terebinthinato Urinam violaceo imprægnari odore supra itidem memini. Et favent huic asserto Viæ, quæ ejusmodi tenuibus evaporationibus aditum præbent, quas nonnulli cum *Sylvio* poros Coli & Recti constituunt; sed his multò patentiores sunt Venæ Mesaraicæ, duplici liquori vehendo destinatæ duplices copiosissimæ, suffragante *Willisio* Pharm. Rat. P. 1. p. 19. ad omnia intestina distributæ; quibus Vasa utut pauciora annumeres Lactea.

XV.

Præparandi modus ex generalibus Pharmacevticis, circa Liquida per Mixtionem solam, per Decoctionem cum immiscendis & dissolvendis variis paranda, Regulis, per diversa indicata determinandis passim traditur. De *modo Applicandi* undique noto impræsentiarum parcus sum, neque aliud addo, nisi quod fistula ano intrudenda quodam pingui sit inungenda, quò scil. facilius & sine molestia inseri queat; ut & bombyce circumducenda in fine, ad præcavendum omnem Clysterii refluxum; nec minus cavendum, ne una cum

Clys-

Clyſmate copioſus intrò irrumpat aër. Quem Situm verò æger in ipſo Applicationis actu capere debeat, non conveniunt inter ſe *Authores. Antiqui* ægro, pedibus elevatis, & capite ad genua declinato, Enemata infundebant, & quidem decumbenti vel ſupra dorſum in paſſionibus renum, vel ſupra ventrem in ventriculi affectibus, vel in eo latere, ubi doloris ſenſus major, notante *Meſue* lib. de ægrit. inteſt. c. 1. *Ægineta* lib. 6. c. 78. *Fernelius*, *Hildanus* & alii dextrum commendant latus, in ſiniſtro enim decubitu Clyſmum in inteſtino recto aut colo, quod tota reliquorum mole comprimitur, ſubſiſtere, ita ut ulterius progredi nequeat, credunt. E contra ſunt, qui ſiniſtrum eligunt latus, rati facilius & altius Clyſma per Inteſt. rectum ſub ventriculo excurrere poſſe. Sed parum refert, quinam corporis eligatur ſitus; Supinus præ reliquis commodior eſſe videtur, præſertim infantibus, & iis, quibus ille fuit conſuetus, tunc enim nulla Clyſteris aſcenſio, ejusve ſubſiſtentia, vel inteſtinorum compreſſio eſt metuenda. Poteſt quidem æger modò in dextrum, modò in ſiniſtrum ſe devolvere latus, quò Clyſmus omnes coli alluat parietes, (unde *Meſue* l. alleg. ventrem manibus fricare ac movere jubet,) & poſtmodum in eo quieſcere loco, ubi maximum percipit doloris ſenſum. Non contemnenda exceptio *Leonh. Fuchſii*, quando ille *Meth. Med.* lib. 3. c. 44. in ulceribus, aliisque veſicæ afflictionibus, ægrum in genua pronum reclinare, atque ita Clyſma injici jubet, quò ſcil. inteſt. rectum à compreſſione veſicæ incumbentis liberetur, & ita Enema facilius infundatur. *Heurnius lib. 1. Meth. Med. ad Prax.* ægrum ore hiante, ut muſculi abdominis relaxentur, decumbere ſuadet. Senſim autem ab initio, nec cum impetu Enemata ſunt applicanda. Non raro contingit, ut Clyſter injici non poſſit, ſed & vi adactus liquor mox effluat imò proſiliat, nonnunquam nec ex veſica vel ſiphone propelli poſſit, cujus cauſam communiter in flatus hoſpitantes in inteſtinis & repellentes rejiciunt: Verùm potior & frequentior cauſa eſt inteſtini recti, vel proximi coli contractio ſpaſmodica, hinc prius mitiganda. Flatus aliquando ipſi veſicæ ſive ſiphoni ſe inſinuant, quo in caſu extrahenda fiſtula, ut pateat exitus. Cum flatus à compreſſione vel ſimili cauſa detinentur, extrahi poſſunt, præſertim commodo ſitu ægri obſervato, ſiphone vacuo. Caſum alium proponit *Hippocrates* lib. 3. de morbis, inquiens: *Et in quo reſiccatur Inteſtin. & conſtipatur ex inflammatione, ita ut neq; flatum,*

neque alimenta transmittat, sed venter durus sit, & vomat interdum, neque purgantibus, neque venæsectione, neque balneis, neque glandibus & Clysteribus officium facientibus, follem fabrilem. Et: *Sin minus, folle fabrili indito, in ventrem flatus immittendus, ut tùm ventrem, tùm intestinum contractum distendas, deinde extracto folle, infusum per Clysterem injiciendum.* Mentem *Hippocratis*, additis cautionibus necessariis exponit *Trallianus* l. 10. c. 1. Hodie tale remedium inolevit; nec an cum commodo ægri adhibeatur, hodierna comprobavit Experientia; si juvat, potissimùm eo, quo suppositoria, juvat modo; Alia est extractatio flatuum, alia per tales immissos distensio. Post factam applicationem anus fortiori spiratione non commoveatur, sed manus vel ægri vel adstantis opera comprimatur, musculusque sphincter, quantum possibile, constringatur, ad Clysma injectum detinendum; In Catalepsi pannum podici, ne Clyster effluat, appressit *Platerus.* Quietus dein æger jaceat, & omnes absint vehementes musculorum abdominis motiones, multa loquela, obambulationes, jectigationes, &c.

XVI.

Ratione *Temporis* tria sunt adnotanda, quando nimirum Clysmata sint infundenda; quamdiu intra corpus detinenda, & denique quantisper eorum usus continuandus? De singulis pauca. Quoad primum, Medicus tàm accuratè ad temporis electionem respicere non tenetur, præsertim urgente necessitatis casu, cui nulla lex, nulli positi sunt limites, ubi perinde in principio, augmento, statu atque declinatione morborum, in quavis anni parte, de die & nocte, qualibet etiam hora Clysterum potest fieri Injectio. Si verò nullum nos urget necessitatis telum, tutius erit, ut communem *Authorum* sequamur ductum, qui non ante duas vel tres horas post cibum assumtum applicari curant Clysteria, ne scil. coctio turbetur, ne cibus crudus & nondum elaboratus à Ventriculo ad Intestina protrudatur; Ita eodem servato temporis ordine ante pastum Clysmata infundi volunt, ne itidem Ventriculi coctio sive Chylosis interturbetur atque impediatur, juxta Veteres autem Chylus crudus ad inferiora trahatur. *D. Fabre* apud Parisienses Practicum famigeratissimum in febribus post paroxysmum, felici successu ægris Enemata applicuisse, (quò excrementitii humores tempore paroxymi in Intestina ablegati evacuarentur) refert *Regn. de Graaf.* lib de Clyst. p. 368.

p. 368. Detinendi tempus diversum est, pro Clysmorum diversitate varians; in genere tamdiu sunt retinendi, usque dum usui satisfecerint, nec primo egerendi pruritui statim obediat æger. Retentionis mora minima debet esse horæ quadrans, media, horæ medietas, hora 1. summa hor. 2. Purgantium. Aliorum largior conceditur mora. Detergentes autem, Abluentes, & hujusmodi ultra horæ dimidium juxta *Weckerum* & *Mercatum*, in corpore non cohibeantur; Anodyni verò & Paregorici longiori tempore detineri debent; omnium autem longissimè illi, quibus glutinandi & consolidandi vis inest; secus qui purgandi intentione injiciuntur. In Dyspnœa vel alia Respirationis difficultate, in renum affectibus diu quoque Enemata non sunt detinenda, nec ægri ad illa sufflaminanda sunt cogendi. Quod si diutius, quam par est, Clysma in corpore moratur & post horas duas aut tres non egeritur, idque vel ob doseos exiguitatem, vel ob sensum Archei in Intestinis nimis obtusum, fibrarumque circularium & oblique descendentium relaxationem, vel ob aliam etiam causam, æger nunc obambulando, nunc anum deprimendo ipse tentet exclusionem; & si neque hoc pacto promanat Enema, ex sola aqua & sale, aut aliud sale magis acuatum repetatur, aut Suppositorium intrudatur, ad crassum Intestinum irritandum & stimulandum. *Gabelkoverus* unum Cyathum Urinæ bibere jubet, quem certò reliqua Clysteria secum educere scribit Cent. 1. Obs. 62. p. m. 110. Mihi videtur, dari faciliores gratiores modos. Clysteris operationem ejusque exitum, porrò Cataplasma ex speciebus Enematis residuis ad justam consistentiam coctis, abdomini impositum, optimè promovere docent *Practici*. Quando verò mox ab applicatione Clysma rursum effluit, quod Apoplecticis & Paralyticis, ob musculi sphincteris resolutionem, non rarò contingit, *Mynsicht* & *Grülingius* aliud infundere, & hoc iterum elabente, ad tertium confugere jubent; verùm in dictis casibus, salva eorum Authoritate, tutius est omisisse, quàm iteratò tentasse. Clysteres supra laudati Domestici si retinentur per integrum diem, absque tamen inflationibus, aut alia noxa, expellendi non sunt. De Durationis tempore, quamdiu scil. Enemata sint administranda, quærenti brevibus respondemus, ab iis desistendum non esse, quoad Indicans necessarium adest, hoc autem absente, absit etiam Clysterum usus. In nimiis ventris doloribus quibusvis

octo,

octo, sex horis Anodynos domesticos injicere licet. Sedulò tamen caveat Medicus, ne nimia Clysterum frequentia alvus officio suo fungi impotens reddatur, & subinde solicitanda veniat, quod duobus Polonis contigisse testatur *Paters. Hain* Eph. Ann. 3. obs. 221. quorum alter ab anno vitæ 40. ad annum 72. bis vel ter singulis diebus usus est Clysteriis: alteri itidem per annos 21. in usu fuerunt Clysteres quotidiani.

XVII.

Clysmatum *Usus* tantus est, ut suffragantibus *Rondeletio, Heurnio, Paræo, Dorncreilio, Morello, Gräfio*, &c. nulla sit corporis pars, quæ ex ritè administrato Clystere, non aliquam sentiat utilitatem. Tanti à *Curios. Rosin. Lentilio* Clysteria æstimantur, ut in Ephem. Ann. 2. Dec. 2. obs. 152. asserere non dubitet, se quando Clysteres Interdicto publico Medicina exulare juberentur, nolle esse Medicum. Juxta *Mercatum & Celsum* omnibus seculis nihil inventum est mitius, nihil benignius, nihil utilius, si alvus parum suo officio respondet, quàm Clyster sapienter accommodatus. Nec ulla est, adstipulante *Wedelio*, subjectorum dispositio, ullus corporis habitus, ullus sexus, nec ulla ætas, quæ Clysteriorum applicationem non recipiat, adeò ut ne Infantibus quidem recens natis parcendum sit; sic ille Infantem octo dierum, de quo jam ferè conclamatum erat, solo hoc præsidii genere felicissimè se restituisse prodit *de Comp. Med.* p. 90. Infantis nondum integrum diem lucem adspicientis ejulatus Clysmate ex Lactis ℥ß. & ol. chamom. ʒij. sustulit *Excell. Dn. Præses;* In ipsis senibus jam decrepitis, & aliis debilissimis naturis, Clysmaticam Injectionem, modo nullum adsit contra indicans, tutò adhiberi posse minimè dubitamus, siquidem eorum debitè paratorum operatio tàm mitis ac blanda est, ut absque ulla perturbatione & tumultu alvum subducant, vires non dejiciant, sed potiùs Præsidem nervosi generis demulceant, solentur, roborent. *Qui Clysteres tanquam grave & admodum periculosum remedium rejiciunt, toto cœlo aberrant, cum sint remedium benignissimum & innocentissimum:* Verba sunt: *Jacob. Primerosii* lib. 4. de vulg. err. cap. 20. Est Clysma formula, quæ omnis generis medicamentis potest adaptari, pro diversissima intentione, in quam cogi possunt Liquida, Media & Sicca. Hinc pro ingredientium conditione Clysmata parantur, quæ acrimoniam mitigant, adstringunt, aperiunt, calefaciunt, urinam promovent,

ner-

nervos solantur, emolliunt, exsiccant, consolidant, glutinant, abstergunt, abluunt, humectant, hysterica sunt, menses movent; anodyna, paregorica, narcotica sunt, purgant, carminantia sunt, stimulant, refrigerant, sanguinem sistunt, vermes necant, educunt, vulneraria sunt, partium singularum affectibus uno vel altero modo subveniunt. Et hoc præsidium si ullis, certè delicatulis, qui ad quodvis medicamen per os assumendum nauseabundum habent stomachum, non potest non esse acceptissimum, quia nullum evacuans, teste sæpius laudat. *Wedel.* l. c. p. 82. certius alvum absque ulla nausea ducit, mitiusque naturam solicitat, quàm Clysteres. Non pauci ex Practicis Enemata omnibus ferè Purgantibus utiliter præmitti posse, imo debere (unde in quibusdam casibus regulariter curationem a Clysmis incipiendam imperant,) censent, quò expeditius & felicius, sine ullo molestiæ sensu, viis ita præparatis, succedat Purgatio; nam si cathartica nullis prius infusis Clysteriis exhiberentur, maximè ubi contumacior alvi adest constipatio, excrementitii humores ex Massa Sanguinea in intestina deturbati, ibique ob viam præclusam morantes, non leves tantùm cruciatus in iis facilè producere possent, verùm etiam in sanguinis alveum remeantes Cephalalgiam, Scotomiam, Syncopem, & alia gravissima excitarent symptomata. Consul. *Morell.* Method. præscr. form. p. 317. Non tamen semper præviis Clysmis opus est. Interdum alvi oppilatio tanta est, ut nullis cedat pharmacis, & non nisi Emollientibus per inferiora immittendis veniat reseranda; ita *Rulandus* alvum per tres septimanas pertinacissimè obstructam, omnibus aliis irritis, solo oleo olivarum singulis horis injecto, feliciter reclusit, referente *Ettmüll.* Op. Th. Pr. P. 1. p. 73. Sic ex *Fernelio* *Crato* Consil. Med. lib. 3. p. 22. Legatum quendam Caroli V. ex injecto Clystere, durum quidpiam ad pedis longitudinem excrevisse, præmissis toto sexennio remediis mollientibus, tanquam si scirrhus in abdomine esset, repetitis autem Clysmatibus restitutum fuisse. Inter rariora est, cum materia reliquis fæcibus omnem exitum denegans, solidissimè compacta nullis Clysteribus obedit, & alia illudit alioquin appropriata medicamenta, cujus exemplum legimus in Miscell. Germ. An. 1. Obs. 98. de Barone quodam, tanta alvi stipticitate laborante, ut post pharmaca omnia fortissima frustra exhibita nil nisi certissima mors instaret, nisi ligneo cochleari majusculo, acuminato & inverso in anum fortiter intruso, & hinc inde agitato, materiam quandam spithamæ longitudine excrevisset, eamque adeò

compactam & tenaciter cohærentem, ut nec acuta securi in particulas dividi potuerit; Quo modo educta materia æger è faucibus mortis ereptus est. Ubi à spasmodica intestinorum contractione alvus sicca est, mirum quantum præ Purgantibus in tali casu plerumque nocere solentibus, conducunt Clysmata, tensionem eorum p. n. tollendo, acrimoniam humorum demulcendo, oblinendo, infringendo &c. Vid. Excell. Dn. D. Zelleri, Patroni & Præceptoris mei Colendissimi *Disp. de Spasm. Intest.* p. 13. seq. nam Purgantia per superius guttur assumta, acres lancinantesque particulas acuendo, via ob contractionem Intestinorum denegata, morbum magis magisque intenderent. Præter dictam alvi obturationem, omnibus etiam reliquis Intestinorum vitiis primariò opitulantur Enemata. Ita in Cholera, Lienteria, Diarrhœa, Dysenteria, Tenesmo, jam olim *Veteres* commendarunt Clysmata, & hodienum à *Recentioribus* illa in recensitis Affectibus magnopere extolluntur; nec in Fluxu Hepatico excludit *Excellentissimus D. D. Metzgerus beatæ memoriæ, Patronus & Præceptor meus etiam post mortem suspiciendus, in Disp. de Flux. Hepat.* In Hæmorrhoidum suppressione, earumque nimio fluxu ab aliis Clysteria quoque laudantur. Hypercatharsin cum Vomitu conjunctam solis Enematibus brevi temporis spatio feliciter sedavit *Rœslerus* in Eph. Ann. 3. Obs. 303. Quid dicam de sævissimis ventris torminibus, à flatibus, variè acribus particulis fluidis, ulceribus, spasmodica Intestinorum strictura, materia vellicante, vel ab aliis causis, obortis; in quibus quantum Clysteres emollientes, mitigantes, anodyni, refrigerantes, carminativi, abstergentes &c. præstent, vix dici potest. Præter experientiam, quæ hic imprimis favet, plurimorum allegare possemus Authoritatem. Hinc Quosdam Clysterum in Colica non Patronos non de omni, sed de rariori specie intelligendos censeo: Ne de insignibus tot vicibus Colicis exhibitis commodis ex suasu & Consilio *Dn. Præsidis* à Clysteribus, sed non purgantibus, non vehementioribus stimulantibus, hîc quid dicam. Iliacum dolorem cum vomitu, crebraque lipothymia conjunctum ex Hernia oriundum Clysmate pacavit *Dan. Wincklerus* in Eph. Ann. 6. & 7. Obs. 44. atrocissimos alios cruciatus ab Hernia productos Clysmis compescuit *Joh. Schmid* in Ephem. cit. Obs. 93. Non enim solùm tutò sed & prospero cum successu Clysteres in Hernia applicantur, ut meritò *Wedelius* Disp. de Hern. miretur, hoc remedium tanquam minus tutum in hoc affectu à nonnullis rejici. Evolv. *Hildan.* Cent. 6. Observ. 73. Vermes, qui rarò absque incommodo in Intestinis nidulan-

tur.

tur, à Clysteriis prolectantur, occiduntur, expelluntur. Calculos non rarò in gyrosis Intestinorum anfractibus hospitantes, per Clysmata infusa subduci, & cum insigni ægrorum levamine eliminari loquuntur Historiæ. Vid. Ephem. Ann. 2. Obs. 89. Mulierem quandam, post injectum Clysterem, squamas & spinas piscium, semen hyoscyami, particulas lignorum ac ramenta lapidum, portionem de pelle ovina vellere adhuc vestitam, maximo cum cruciatu dejecisse, oculatus est testis *Horst.* lib. 1. Part. 2. de morb. mulier. Obs. 13. In inflammatione, rimis seu scissuris, procidentia, paralysi ani, suos itidem laudabiles præstant effectus Enemata. Magna autem cautione, ut injici possint, opus est; nam plerumque Clysterum applicationem hæc prohibent, sicut & Hæmorrhoides cæcæ, valdè dolorificæ, facilè & copiosè fluentes, ani ficus. Juvant autem, in quantum scybala duriora emolliendo, anum segnem lacessendo, intestina ab iis liberant; Humores fluxiles incrassando, cogendo: Vasa nimis aperta occludendo, dilatata comprimendo, fluxum p. n. compescunt; asperas, aculeatas, cuspidatas humorum particulas temperando, mitigando, eluendo obtundunt, inflectunt, exterminant; materiam viscidam, compactam incidunt, dissecant; flatus discutiunt, partes strictas laxant, sordidas detergunt, mundificant, exulceratas, vulneratas obducunt, oblinunt, incrustant, consolidant.

XVIII.

Nè dicas Fistulis tantummodo Intestinalibus destinatos esse Clysmos, cum etiam eorum vires in reliquas corporis nostri partes, vel ob viciniam, vel communionem vasorum, nervorum, tunicarum, &c. vel alium ob symbolicum quendam consensum, vel alio modo afflictas, longius latiusque se diffundunt, quam ut verbis exprimi possit. Audi ad hæc *Galenum*, qui lib. 1. aph. comm. 2. per Clysteria fieri particulares Vacuationes, non quidem solùm ab ipsis intestinis, verùm & à remotissimis etiam partibus, dicit. Si propinquiora intestinis loca, Vesicam, Ureteres, Renes accedamus, deprehendemus in eorum Affectibus, in inflammatione, calculo, nephritidie, stranguria, dysuria, &c. felicissimo cum eventu sæpius Clysmata præscribi; In Ischuria ex Ureteribus obstructis Clysterem præsentissimo cum fructu applicuit *Georg. Segerus* Ephem. Ann. 2. Obs. 23. Tubulis enim & meatibus emollitis, laxatis, reseratis, calculis ac arenulis facillimam elabendi præbent viam; blando tepore paregoricam vim Renibus ac Vesicæ impertiunt, tensionem & convulsivum quasi Ureterum motum corrigunt, demulcent; Archeum nervosque

mirè refocillant. Ob Uteri viciniam, sequiori sexui maximum ex Clysteriorum administratione accedit solamen atque commodum, in variis, quibus imbecillior sexus obnoxius est, afflictionibus, e. gr. in mensium, lochiorum suppressione, & eorundem p. n. fluxu; in ulceribus, apostemate, hydrope, procidentia Uteri; in abortu præcavendo, difficili partu, doloribus post partum; ipsam quoque contra Sterilitatem *Veteres Arabes* commendarunt Enemata. De hac Clysterum actione in partes Intestinis vicinas differit *B. I. Dan. Horstius* Obs. 10. Per injectionem astringentis cujusdam decocti, plerisque sterilibus fœcunditatem se restituisse scribit *Celeberr. Volcamerus* in Eph. Ann. 2. Obs. 223. Gravidis adeò, urgente necessitate, non denegat Clysteres *supra laudatus Dn. D. Metzgerus piæ memoriæ, in Dissert. de alv. constip.* Sed adhibenda circumspectio prudens. Puerperas Clysmorum beneficio à multis & magnis molestiis fuisse liberatas, quibus aliàs post partum laborarunt, nec tantùm iis, verùm etiam, quibus oppressæ fuerant non solùm ante partum, sed & priusquam utero gererent, & nullis antea remediis cedere voluerunt, observavit & descripsit *Gabelcov.* Cent. 3. Obs. Med. 115. Quippe Clysteres præter dictas operandi virtutes conducunt hîc humectando, exsiccando, calefaciendo, stimulando, aperiendo, discutiendo, demulcendo; partes laxas stringendo, corrugatas laxando, debiles roborando; Obstructionem reserando, nimium humorum fluxum sedando; lympham vitiosam ex oscillis vasorum exprimendo, emungendo, elutriando, &c. Nec minus efficax auxilium pollicentur Clysmata in ventriculi, mesenterii, hepatis, lienis inflamationibus, obstructionibus, scirrhis; in singultu, vomitu, aliisve variis partium dictarum vitiis; ita Vomitum mensium, urinæ per os claræ, aureæ, sedimenti lenti, copiosi effusionem ad consuetas naturæ vias Clysteribus sæpe se revocasse autor est *Horstius* lib. c. Obs. 41. Hypochondriacos quantum juvent, quivis dies loquitur, imo desperatos tales solo Enematum usu se in integrum restituisse tradit *Hercul. Sax.* Porrò quia Clysteres primarum viarum lubricatione, abluitione, depuratione, noxiorum humorum eliminatione fomitem multis morbis subtrahunt, Intemperiem Viscerum variam mitigant, corriguntque; nervosas partes firmant, spiritus demulcent, recreant solantur, &c. in febribus intermittentibus, continuis, malignis; in phrenitide, morbillis, variolis, (in quibus lubricantes saltem nec frequentes suadet *Dn. Præses,*) &c. Clysmis laudem tribuunt. *Sydenham* in febribus ad effervescentiam compescendam Enemata frequentia injici curat. Nè tamen laxior

fiat alvus, quia in malignis noxia, cavendum. Quartanam pene conclamatam in Vetula solo Clysmate, cui præter alia ingredientia, Tincturæ suæ Vitrioli balsamicæ admiscuit ℥ij. citra omnem exspectationem se sustulisse commemorat *Langius in Miscell. curios. med.* c. 11. p. 30. Variolas diu latitantes solo Enemate, omnibus prius sed incassum tentatis, derepentè expulit *Carol. Raygerus*, in Eph. N. C. Ann. 4. & 5. Obs. 7. quanquam in his affectibus tutius omittuntur Clysteres, præsertim si natura evacuationem criticam per alias vias instituere nititur, aut si excretio cutanea imminet vel exspectatur. Vid. *Ettmüll.* Op. Th. Pr. P. 1. p. 266. unde in febribus Puerperarum acutis, cum excretionibus cutaneis, Glysmorum administrationem periculosam fuisse perhibet *Idem* l. alleg. P. 3. p. 55. in Peripnevmonia ac Pleuritide singulis diebus infundi jubet Enemata *Willisius*. In Tabe, Arthritide, Ictero, Podagra, Paralysi, Rhachitide, aliisq; morbis qui alvum postulant laxam, Injectiones per alvum cum insigni levamine celebrantur, imo ausim dicere, in omnibus affectibus, ubi alvus pigrior est, Clysmata cum fructu injici posse, modò vitium illud non sit à natura & individuali quadam Idiosyncrasia, quo casu alvum citari non vult *Dn. Præses in Posit. Miscell.* In Hydrope, Tympanitide quid Clysteria juvent, ex superioribus satis elucescit. Imò, cum Clysmata è purgantibus parata sæpe suas particulas & vires ultra Intestina per massam sanguineam toti transmittant corpori, ex hujus hinc singulis regionibus aliquando educant heterogenea, contra plurimos morbos ea feliciter injici patet.

XIX.

Omnium maximè Clysmatum Virtus Revulsoria, vulgò dicta, rimanda mirandaque venit, quam ope evacuationis, & non rarò acrium corpusculorũ, quibus armata sunt, exsequuntur, quæ sive primas vias ab heterogeneis & impedimentis liberando, sive fibras intestinales irritando, spiritus avocando, in ordinem redigendo, varia fluida p. n. alia à nobilioribus partibus avertendo, deturbando, illuc ruitura aliò ducendo, ne in superiora irruant, præcavendo multum prosunt, & viam reliquis auxiliis sternunt. Nempe in Catarrho in genere, & præprimis Suffocativo, Dyspnœa, Angina, Asthmate, Tussi, Vomitu cruento, Sputo sanguinis, Lue ♀rea, Palpitatione cordis, Dolore Ischiadico, Melancholia, Mania, Epilepsia, aliisve Convulsivis Paroxysmis, Vertigine, Apoplexia, doloribus Capitis, in quibus sæpe utramque facere paginam, & apud Exteros Cephalalgiam à cra-

pula solo Clysmate curari tradit *Bruno in Disp. de Cephal.* Spiritus in parte aliqua detentos avocant, à compedibus suis liberant, sopitos excitant in Passione Hysterica, Apoplexia, Catoche, Lethargo, Caro, & aliis soporiferis affectibus. Avertunt à Capite toto, sic *B. Michaëlem* famulum cujusdam mercatoris Hydrocephalo laborantem Clysmatibus sanasse recenset *Ettmüll.* l. c. P. 2. p. 241. Ab oculis, naribus, unde Clysteres proficui sunt in Ophthalmia, suffusione, nyctalopia, phlyctænis, ulceribus, aliisque oculorum malis. Cæcitatem subitaneam post usum Clysmi carminativi citò sustulit *Hellwig.* obs. Phys. Med. 23. sic *Rondeletius* Meth cur. morb. c. 58. p. m. 142. puellæ repentè excæcatæ ex sola Clysmatica Injectione mox visum restituit. In Ozæna, Polypo, Hæmorrhagia narium Enemata quando & quomodo juvent, docet *Dn. Præses in Collegio Privato.* Ad inflammationem, dolorem, & alios aurium affectus quoque nostræ commendantur Infusiones. Veteres pro dictis scopis Clysteria adhibuisse non erant contenti, quin etiam ad venenum evacuandum illa, præsertim acria, quibus hoc peculiare esse judicat *Mercatus* Op. Tom. 2. lib. 1. p. 63. præscriberent. Præterea ad appetitum ex nimia ciborum repletione, & excrementorum retentione prostratum revocandum opem Clysmorum in usum duxerunt. Adhæc Clysteres acres singulare quid præstant, quando nimirum illi Hirudines Hæmorrhoidibus destinatas, anum per Infortunium ingressas revocant, occidunt, expellunt. vid. *B. D. D. Metzg.* Syllog. 4. de Hirud. §. 13. Notatu haud indignum est, quod *Simon Schultz.* in Ephem. Ann. 3. obs. 152. sequentibus delineat verbis: *Novi puerum novennem, cui cum ante aliquot annos febre tertiana laboranti, & obstructiones alvinas patienti, à me Enema ordinatum esset; audito solo Enematis (cujus applicationem valdè metuebat) nomine, sponte alvus soluta est, illeque ab obstructionibus liberatus fuit, quod quidem bis vel ter evenisse recordor.* Contingunt talia haud raro. *Varias* variis affectibus opponendas *Formulas* hic addere supersedeo, ne in volumen excrescat hæc *Dissertatio*; ablegans ad *Practicorum* Libros, qui tales desiderat. *Cautelas* varias Speciales quà Ingredientia proponunt hinc *inde* Medici, quarum quasdam subjungam. Circa Purgantia notant, quod fortiora, & alia, quæ ramosis suis corpusculis intestinorum parietibus facilè adhærere, vique sua acri partes nervosas & membranosas pungere, vellicare solent, in petia seu sacculo sint liganda, quò omnis molestia avertatur & præcaveatur;

cujus

cujus generis sunt turpethum, sem. carthami, agaricum, (ejus Trochisci) quod utpote villosum in intestina injectum statim circumhærere atque affigi scribit *Joh. Schyron.* Meth. Med. p. m. 19. hocque confirmat *Zwelferus* in Animadv. in Pharm. Aug. p. 198. hinc *Veteres* Oximel Clysteribus addidisse, ut protinus illud abstergeretur, neque adhærescat, tradit *Idem* l. c. Item Colocynthis, cujus subtilissima ramenta horrendos cruciatus inferre, & aliquandiu post se relinquere, expertus loquitur *Ettmüll.* de Præscr. Form. p. 185. quæ licet subtilissimè pulverisata, & in Trochiscos redacta semper tamen intestinorum tunicis adglutinatur, teste *Quercetano* in Pharm. Dogm. Restit. c. 18. Ita omnes Hieras, ut Archigen., Diacober, hieram picram, trochiscos alhandal, diaphænicum, Indum majus, & quæcunque turpethum & agaricum recipiunt, in panno ligata decoqui jubet *Rondelet.* de Medic. Int. p. 13. Non semper talia observantur. Non malè Quidam Rhabarbarum, folia sennæ, & alia Lenientia liquori summe calido potius infundere, (si mora conceditur) quàm in eo decoquere suadent, ne scil. vis eorum Cathartica inter coquendum evaporet & deperdatur. Ad Carminantia quod attinet, monent Authores, illa non sola in Clysterum decocto esse recipienda, ne tenuibus & subtilibus suis particulis viscidam materiam nimis attenuando flatuum proventum augeant, majorem hinc in intestinis producant distensionem, sed semper emollientia, leniter evacuantia, demulcentia, intermiscenda imperant. In Emollientibus aliisque Clysteriis sem. lini, fænugr. psylli, hyoscyami, cumini, & alia pinguia, viscosa atque graveolentia parca manu pro decocto sumi volunt, quia non solùm liquorem nimis lentum, glutinosum reddunt, quo minus commodè ex instrumenti fistula in anum effundi queat, sed caput simul petunt, suoque nidore replent, fœminarum uterum commovent, aliis stomachum afficiunt, humores spiritusque corrumpunt. Circa Opiata dimicant & ambigunt *Authores*, num illa tutius per os, quam per inferius guttur injiciantur? In genere hæc lis decidi non potest. Quòd si extremi in acutis gravissimisque morbis urgent dolores, Opiata ex Clysteribus non penitus excludenda sunt, verùm non tantùm in parca illa adjiciantur dosi, sed & benè præparata, cumque corrigentibus, e. g. ol. ruthæ, castor. &c. nupta & probè dissoluta eligantur, nec diu in ventre retineantur; post Clysma rursum ejectum intestina *Lud. Mercatus* aqua aut vino dulci ablui jubet, ne portiones quædam ejusmodi opiatorum plicis intestinorum ob viscedinem suam adglutinatæ adhæreant,

hinc

hincque periculum gravioris mali minitentur. Ex ℥i. opii cum Enemate injecti coma obortum, per aliud verò Clysma curatum notat *Salmuth.* Cent. 3. obs. 97. Balbutiem ab Opio per Clysterem infuso, post tempus autem vi opii discussa denuo cessantem, observavit *Platerus* lib. 1. obs. p. 127. *Thom. Minadoum* Med. & Prof. Italum observasse, omnes Dysentericos, qui ex Consilio Medicorum, Opiatis usi fuerunt Clysteriis, defunctos esse testis est *Frid. Hoffmannus* in Meth. Med, l. 1. c. 10. Conf. *Thoner. Obs. Med. 8. lib. 3.* Quæ singula monent cautam prudentiam circa Clysteres Narcoticos requiri. Specialiores in Specialibus Casibus Cautelas Specialis Praxis requirit & docet.

XX.

Utut autem maxima Enematum sit Utilitas, & tantum non Universalis, *ne credas* tamen illa in omnibus morbis, nulla ratione habita dispositionis subjectorum, symptomatum, naturæ, temporis periodi, virium constitutionis, &c. semper tutò præscribi posse; imo in multis præfatis casibus, in quibus fuerunt laudata, ubi fortius Contraindicans Clysteres vetat, aliaque impedimenta eorum administrationem dissuadent, raró felici cum successu hoc medicamentum accersere licet. Cave ergò ut cum vulgo culpam rejicias in utilissimum nostrum præsidium, (sæpe enim saluberrimum remedium Medicastri, vel ægri, vel aliarum circumstantiarum culpa fieri nocentissimum Venenum, non unius *Autoris* est querela) si funestum post injectum Clysterem, legibus Methodi Medendi non ritè observatis eventum notaveris, uti ex applicato cuidam scorbutica labe infecto in ventris torminibus Clysmate, violentas mox Convulsiones insecutas esse legimus in *Miscell Germ.* Ann. 3. Dec. 2. Obs. 77. Ita alius Clyster in Iliaca Passione infusus acerbissimos excitavit dolores, cum sanguinis excretione, apud *Ioh. Specht* in Ephem. Ann. 9. & 10. Obs. 114. Aliud Enema in eodem affectu applicatum, post semiquadrantem horæ ægrum è vita sustulisse testis est *Andr. Cnöffelius* l. c. An. 3. Obs. 208. Sæpius de talibus casibus judicando committitur fallacia non causæ ut causæ. Impudentissimè autem & scelerate agunt Circumforanei, qui soliciti magis de suo commodo & quæstu, quàm de ægri salute, in omnibus corporis affectibus promiscuè Clysmata applicare audent, & sine delectu ad illa, ut sors tulit, ignoratis aliis medicaminibus, confugiunt, ex quorum censu fuit ille Circulator, qui spretis omnibus aliis remediis, solo Clysterum usu omnes morbos curare temeraria jactantia *Brixiensibus* promisit, uti quidem ex *Aloisio Mundella* refert *Laudatus Schröck.* in Schol. ad Helwig. Obs. cit. Perinde etiam culpam non effugiunt, qui nimia Enematum frequentia Clientes suos miserè torquent; uti Barbitonsorem quendam vix octidui spatio ultra centum Clysteres ægro cuidam adplicuisse memorat *Idem* l. alleg. Unde Errores vulgi, nihil corpori ac naturæ infestius, nihilque desperatis in rebus tritius ac inutilius esse arbitrantis Clysmatibus, ab ejusmodi Impostoribus & maleferiatis hominibus originem traxisse affirmat *Mercatus* l. d. p. 64. Sed ne fastidium pariam prolixiori tractatu, rivum claudam; pro concessis hactenus viribus

DEO

SIT LAUS ET GLORIA.